

spasmos ibidem generare, iis intellectu non adeo erit difficile, qui ad neruorum munera in singulis partibus attendunt.

§. IX.

In capite quidem coma somnolentum, apoplexiam & effusa extra vasorum limites liquida auctores obseruant. Nempe damnata illa podagricorum materia siue certo visciditatis, siue acrimoniae gradu peccet, ad indolem humorum, qui in aliis vasis mouentur, poterit utique vim illam suam vel obstruendi vel erodendi ad neruorum origines, in ista imprimis eorum mollitie, applicare. Vnde ibi effusio liquidorum, hic oppressio ad morbos lethargicos ducens nasci poterit. In quo sane statu aegris consulere fere omnem excedit artis potestatem. Siquidem, quod tanta vi laedendi in partem tam nobilem, tam teneram, & non nisi exiguis propellendi viribus praeditam, incumbit, spem suae vel correctionis vel expulsionis nullam relinquit.

§. X.

Neque vlla pars capitis externa ab hoc hoste immunis videtur. SENNERTVS (a) arthriticae foeminae meminit, in cuius fronte (tractum suturae frontalis videtur designare) molecula eruperit instar arenae, & granulorum salis, quae sese abstergi passa fuit. Ipse, sub ductu ILLUSTRIS RICHTERI, HOSPITIS ac FAVORIS nunquam satis colendi virum vidi per multos annos podagricum, cuius cum

per

(a) Cap. I. de Nat. arthrit. p. m. 7.